D E

VULNERUM SUTURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

...ONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE

SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX M. MARTII A. MDCCCXXVII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS BÖNTEN

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

KESSLER, MED. CAND.

BRAND, MED. CAND.

MÜLLER, MED. CAND.

BEROLINI,

FORMIS BRÜSCHCKIANIS,

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

J. BÜTTNER

EDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO-CHRIUR-
RUM EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUPREMO, IN-
ITUTI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACADEMIAE MEDICO-
IRURGICAE DIRECTORI: ORDINIS REGII DE AQUILA
BRA IN TERTIA CLASSE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE
CUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. VLADIMIRI,
C NON ST. ANNAE, ORDINIS REGII SUECICI VASANI
DINISQUE BELGICI LEONINI EQUITI AURATO ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

CLARISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

J. T. SEIDLER

DICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, LEGIONIS REGIAE
DESTRIS VICESIMAE QUARTAE MEDICO PRAEPOSITO,
CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA EQUITI.

FAUTORIBUS

AD CINERES COLENDIS HANCCE

LUCUBRATIUNCULAM

PIA MENTE SUMMAQUE REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Praefamen.

xperientiae medicae plane expertem Tironem, vi atque proprii quid in lucem edere non posse is constat. Nihilominus ut mori sancto atque tusto academico obediam, quae tam veteriori-s quam recentioribus de materia mihi desumta dita sunt, colligere atque conclinnare iuvabit. m diu huc illuc versatus, materiam, de qua te dissererem et quae Tironis ingenio neque ni-is ardua esset invenire non potui, eo libentius lnerum Suturam elegi, quod vir clar. Dr. Rich- medicus ordinis superioris Instituti medico-irurgici eam mihi proposuit, adminiculaque eraria benevolentissime mihi suppeditavit. Ne-e possum quin viro illi clarissimo pro magna me benevolentia gratias quam maximas persol- m. Neque perfectum neque satis amplum hocce sculum esse, facile intelliges, qua ex causa, ut n indulgentia legas, L. B. Te oro obsecroque! le.

Introductio.

Duas nobis natura commonstrat vias, quibus partes disjunctas sanare valet: unam scilicet Reunionem per primam intentionem, alteram Reunionem per secundam intentionem. Quarum priorem eo adsequitur, quod partes dissectas quam proxime sibi invicem conjungit, Inflammationem adhaesivam, quam dicunt, eaque coalitionem producit; alteram vero eo perficit, quod in tota vulneris superficie Inflammationem, suppurationem, granulationem, iisque novam, vulnus tegentem cuticulam, circatricem gignit. Strenuus semper naturae minister medicus, parum in genere vulneribus sanandis conferre potest; ejus tantum est, naturae contentiones sustentare, prout unam alteramve ingrediatur viam. Quantum autem fieri possit, ut Reunio per primam intentionem perficiatur, medicum semper studere oportet. Quam perficiendi plura ei in promptu sunt adminicula, quorum summum Sutura dici meretur.

eunionem per secundam Intentionem, quae huc
on pertinet fusius dilucidare respuens, ad Sutu-
m uberius exponendam fert animus.

Suturae notio, Divisio, Historia.

§. 1.

Qua vulneris orae ad Reunionem per primam
tentionem perficiendam, cicatricemque turpem
vendam junguntur, et ad coalitionem usque
nctae servantur, per Suturam sensu latiori En-
leiresin medici intelligebant.

Suturae divisionem multifariam a priscis jam
edicis oblatam esse, nemo est, quem fugiat.
uido Cauliacus 1) tres posuit species, suturam
mirum incarnativam, retentivam sanguinis et
biorum ad tempus servativam. Alii in siccam
que cruentam 2) eam diviserunt. Sicca quae no-
a, spuria etiam audit, illa dicitur, qua vulneris
ae emplastrorum ope coadunantur, quam vero
e Dran 3) fasciis adnumerat, et inde Bandage
nplatrique nominat. Alii 4) etiam potentialem ap-
llant siccam; van Swieten 5) autem suturae no-

1) Guido Cauliac. Chirurg. Tract. III. Doctr. II.
2) Heister Chirurg. P. I. Lib. I. Cap. I.
3) Le Dran. pag. 25.
4) Henckel chir. Operationen. 5-6 St. p. 32.
5) van Swieten Tom. I. pag. 337.

mine vix dignam censet. Per cruentam eam i tellexerunt, qua vulneris labra acu filoque mediai tibus junguntur eadem vera et actualis dicitu Hanc in simplicem atque compositam nonnu iterum diviserunt. Simplex illa est, quae acu fil que tantum perficitur, ad quam sutura nodos circumvoluta et Pellionum pertinent; composi demum illa audit, cui perficiendae alia praet acus filaque opus sunt adminicula; huc sutura cl vata refertur. Sunt etiam 1), qui Suturam in du distribuerint genera: in incarnativam et restrict vam; illi adnumerarunt suturam siccam et cruei tam, quarum haec iterum dispescitur in nodosan clavatam et involutam. Restrictiva in Enteror phiam et Ligaturam vasorum dilabitur. Langer beck 2) suturam cruentam κατ' ἐξοχὴν Sutura dicit, suturae siccae denominationem plane rej ciens incongruam. Cui suffragaturus Suturae d visionem in nodosam, circumvolutam, cl vatam et Enteroraphiam, per quam, praet Suturam Pellionum, ansatam etc. omnes agen rationes, quibus intestina vulnerata sanantur ir telligo, ceu aptissimam eligere malim. De Gastr roraphia, Sutura tendinum et Staphyloraphi vid. §. XI.

Sutura cruenta, rectius Sutura illa audit E cheiresis, qua partes molles dissectae ad Reunic

---

1) Boecler dissert. de Sutura vulnerum. Upsaliae 1772

2) Langenbeck Nosologie u. Therapie d. chir. Krankht

m per primam intentionem perficiendam, cica-
cemque deformem praecavendam acuum filorum-
e ope jungnntur.

Cum veteres de vulnerum Sutura scriptores
uram siccam, rectius deligationem emplastro-
n ope una pertractarint, hanc etiam infra ali-
antum illustrare in animo est. —

Num Hippocrates 1), priscus ille medicorum
er ad vulnera unienda suturam instituerit, nec
non satis liquet; quam haud incognitam ei
sse, eo elucere mihi videtur loco, qui haec ha-
: quae (vulnera) autem linteis neque commode
mprehendi, neque apte retineri possunt, ea filis
injectionem aut suturam adhibitis retineri de-
at. Qui autem adhibuit, luculentamque nobis
urae delineationem, pluresque eam administran-
species, e. c. sut. nodosam, Enteroraphiam tra-
it, Celsus 2) primus fuit; nam si plaga in
lli parte est inquit, sui debet: maximeque si
cissa auris ima est, vel imus nasus, vel frons,
bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa gut-
cutis, vel venter. — Neque minus Perga-
nus ille medicus 3) sutura usus est, dicens:
n vero transversa ulcera, quod eorum labra
gis dissideant, a seseque absint, diligentius con-

1) Hippocrates de officina medici V. 26.
2) Celsus de medicina. Lib. 5. cap. 26. Lib. 7. cap. 16
3) Galenus de methodo medendi. Lib. III. 18.

jungi postulant, ideoque tum suturis, tum fibul
in iis est utendum.

Inter Arabum medicos Albucasis 1) imprimi
Suturam intortam et Pellionum perfecit, et quan
tunc temporis floruisse dicit suturam formicarun
delineavit.

Roger a Parma 2), Brunus Calabriensis 3)
Guido Cauliacus, 4) Lanfrancus 5) etc. inter Italo
Gallosque saeculi decimi tertii ac quarti de Sutur
praecipue de Enteroraphia promeruerunt. Aev
medii medici 6) ad hernias sanandas suturam pro
priam etiam invenerunt, cui, quippe quae reg
cives servaret, regiae nomen imposuerunt.

Qui autem omnes operationes chirurgicas
medicina alienas esse volebat Paracelsus 7), a
omni vulnerum sutura plane se abstinebat, eam
que nimis cruentam repudiabat. Paraeus 8), mag
nus ille Chirurgiae gallicae instaurator suturan
revocavit, et imprimis labra aut prima conforma
tione, aut laesionibus externis fissa per suturan
intortam consuenda suasit, neque minus etiam su

---

1) Albucasis Chirur. Lib. II. Sect. 58.
2) Roger a Parma chirurg. Libr. III. Cap, 29.
3) Brunus calabriensis chir. Lib. I. Cap. 4.
4) Guido Cauliacus l. c. Tract. III. Docts. II. Cap. 6.
5) Lanfrancus Chir. magna. Lib. I. Tract. II. cap. 2.
6) Fabr. ab Aquapend. de chir. operat. pag. 18.
7) Paracelsus grosse Wundarznei. B. 1. Cap. 5.
8) Ambr. Paraei opera Lib. IX. Cap. 25-33.

ram praestitit Pellionum. Palfyn 1) Garenglot, 2) avaton 3), Le Dran 4), Ramdohr 5), De la eyronie 6) et alii, suturas, quae iam exstiterunt paru mutarunt, novas partim iis adiecerunt; de quins suo loco fusius acturus sum. Pibrac 7) imus fuit, qui recentiori tempore, vulneribus per turam medendi rationem summo iure restringere nderet; Louis 8) sut. intortam, Le Blanc 9) item quamcunque suturae speciem plane reiiendam esse existimaverunt, nulla, Instruento caedente facta vulnera exstare ait, quae nee situ partis laesae apto, fascia uniente et sura sicca melius faciliusque, ac ea, quae acuum orumque ope perficiatur, sanari possint. Richr 10) et Recentiorum plurimi sutura, quantum eri potest se abstinent, eamqne ubi vulnerum eunio alia via perfici nequit, in usum tantum ocant.

) Palfyn Abhand. v. d. vornehm. chir. Operat.
) Garengeot Traité des Operat. de chir. Vol. I. Chap. 4.
) Ravaton Abh. üb. Hiebwund.
) Le Dran Traité des Operat. de Chir.
) Ramdohr in Moebii diss. rar. obs. chir. Helmst. 1730.
) De la Peyronie in memoires de l'Academie de Chir. de Paris. Tom. III.
) Pibrac sur l'abus des Sutures dans les mem. de l'Academie royale de Chir Tom. III.
) Louis in mem. de l'Academie de Chir. de Paris. T. IV.
) Le Blanc kurzer Jnbegriff aller chir. Operat. 1 Thl.
) Richters Anfangsgründe d. Chir. 1 Bd. S. 314.

§. 2.

Priscos, quos meliora hodiernae Chirurgi principia fugiebant medicos, vulnerum Suturam multo frequentius in usum vocasse, indeque plurimis in casibus a scopo sibi praefixo potius aberasse, quam eum attigisse, facillimum est intellectu. Parum perspectam certe habebant, quae vulnera consuta comitari solet actionem vitalem, qua ex causa factum etiam est ut, quod partium dissectarum Reunio plerumque non perficeretur, suturarum formae magis, quam intempestivo earum usui exprobarent; quod ingens ille suturarum inventarum numerus probare mihi videtur. Cum intelligi primum coeptum sit, non modo mechanice suturam agere, verum etiam vehementissimos Organismi, partisque laesae interdum producere actiones, tunc primum, ajo, suturae usum magis magisque restringere medicos, vulnerumque medelam melioribus Chirurgiae principiis aptare studuisse. Licet altera ex parte perperam Suturam prorsus refutare conati sint; summo tamen jure Pibrac et Le Blanc (l. c.) ejus abusum rejecerunt indeque magnum sibi pepererunt meritum, ad meliorem lenioremque vulnerum curam, Reunionem siccam nimirum medicorum animum magis magisque adtendisse.

Sutura ingenti partium dissectarum semper conjuncta irritatione, vehementissimos dolores, in-

mmationem summam, tensionem, Convulsiones asmosque vehementes non raro infert; partium nsutarum contractilitas ita saepe adaugetur, ut a cutem dissecent, suppuratio exoriatur, vulneque Reunio prorsus perdatur necesse est. Quae m ita sint, Medici certe est, vulnera non nisi in casibus consuere, quibus alia Reunionem rficere nequeunt remedia. Non semper tamen iis evenire solet exitus infaustus, quippe qui in nere pendet:

1) a puncturarum numero,
2) ab indole functioneque partium laesarum,
3) ab aegrotorum partisque affectae vulnerabilitate,
4) denique a suturae forma.

turae formam et unius alteriusve praestantiam od attinet, in singulis suturis exponendis uberius nstrabo. Cum vero et vulnera exstant, quibus iendis sutura opus est, (quod tamen Le Blanc c. prorsus negat) haud incongruum fore, nullus bito, si, quae secundum recentiorum medicorum inionem sibi exposcant suturam, vulnera hic reiam. —

§. 3

In his fere casibus sutura in genere est admistranda:

a) Ubi vulnera transversa partium, quibus ingens inest se retrahendi vis, exstant.

2) Partium vulnera, quarum fabrica peculiar aliud Reunionis adminiculum respuit, e. g auris externae fissurae, palpebarum vulnera et

3) Vulnera lobata majora, c. c. post amputatio nem exarticulationemque orta; 1) neque mi nus aliarum partium e. c. cranii.

4) Vnlnera alta et transversa linguae.

5) Faciei plagae hiantes, ubi cicatricem mani festam vitare studemus; imprimis, ubi duc tus salivalis laesus apparet.

6) Vulnera transversa, angulata, pollicem cum dimidio exedentia, neque minus vulnera lon gitudinalia, parietem anteriorem Abdomini penetrantia.

7) Colli vulnera magna, Laryngis aut Tra cheae incissione contemporanea conjuncta, it ut integumenta externa tantum ligentur. Cu indicationi, quam Zang 2) proponit adstipu lari nequeo; quum puris infiltrationes facil oriantur, si integumenta externa consuuntur ratum potius habeo, vulnera tracheae minor situ apto solum committenda, tracheam ver plane discissam ansa simplici, qua membrana exterior tantum comprehenditur, esse conti nendam 3).

---

1) Graefe's Normen zur Ablösung gröss. Gliedmassen.

1) Zang's Darst. blutiger Operat. 1 Thl. §. 213. Chelius Handb. d. Chirurgie.

4) Rust Beobachtungen üb. d. Wunden d. Luft u. Spei- röhre. Wien 1815. Chelius Chir. 1 Bd. §. 402.

) Tubi intestinalis discissio totalis. Scarpa tameu aliisque repugnantibus. 1)
) Ruptura Perinaei, partu difficili orta. 2).
o) Fissurae partium, aut vitiis primae formationis, aut injuriis externis ortae e. g. labium leporinum, velum palatinum fissum.
ı) Ubi partes, prorsus ab Organismo rescissae restitui debent, ut in Rhinoplastice etc.

§. 4.

Abstinendum nobis autem a sutura est:

In omnibus vulneribus, quorum Reunio tam apto partis laesae situ, quam emplastorum ope, aut fasciis unientibus perfici potest.

Ubi corpora aliena vulneri insident, quae removeri neqeuunt, si arteriarum ligaturas exceperis.

Ubi Extravasata, quibus liber effluxus est permittendus, exstant.

Ubi vulnera venenata sunt.

Si vehemens Inflammationis gradus, partiumque nimia se retrahendi facultas adsunt.

Summatim denique, ubi vulnera Reunione per secundam intentionem sanari debent, e. g. si contusa, aut magno carnis defectu conjuncta sunt.

t, qui etiam vulnera, in quibus ossa denudata

Scarpa über die Brüche üb. v. Seiler.

Zang etc. Chelius l. c.

reprehenduntur huc referant. Perperam tamen nam experientia edocti scimus, talia vulnera p bene Suturae ope jungi posse 1).

Singularum Suturarum adumbratio.

I. Sutura nodosa, interscissa, suture entre coupée, the interrupted suture; Germanis Knopfnaht

§. 5.

Exhibet Sutura nodosa vetustissimam, simplicissimam, factuque facillimam speciem. Propter minores, quas efficit injurias, in vulneribus consuendis, labio leporino excepto, omnibus aliis praestare, nullus dubito. Langenbeck 2) eam in plagis, suturam flagrantibus solam in usum vocare solet.

Ad quam perficiendam Suturam, sequentibus opus est adminiculis:

1. Acubus. Ingentem acuum, diversissimae formae numerum, veterioris recentiorisque aevi medicos commendasse, nemo est, qui ignoret; et gravissimas acuum formae differertias hic proferendas satis censeo. Acus aut erant rectae, quam formam acus Paraei 3) Taliacotii 4) Garen-

1) Zang Chelius l. c.

2) Langenbeck l. c. p. 499.

3) Paraeus l. c. p. 257.

4) Taliacotius Lib. II. cap. II.

ti 1) et Petiti 2) exhibuerunt; aut curvae, id
circuli segmentum referebant, vel prorsus se-
irculares erant, ut acus Wolsteinii 3), Sa-
ny, Larrey, Assalini, Boyer, Graefe 4); aut
ique recto - curvae, ut acus Leberi et Bellii.
is corpore aut erant rotundo aut applanato,
e vel triquetro, vel pro tertia acie marginem
usum in parte concava habente. Fuerunt etiam
apicem ancipitem aut lanceolatum et hasta-
formarint. Capitulum acuum modo maiori
lo minori ambitu erat, et foramen, quo in-
ebatur, modo in longitudinem modo in trans-
um patebat. Interdum hocce foramen in
e erat collocatum et manubrio munita acus,
uo infigebatur loco, eo etiam retrahi melius
set. Maynard et Bienaise peculiares, tendini-
dissectis aut ruptis suendis acus nobis tradide-
, quae corpore erant rotundo, capitulo ab an-
ri parte posteriorem versus pervio, margine
avo acuto, convexo autem terete, utrinque
en planae; quibus efficere studuerunt, ut fibras
ineas non dissecarent, sed iuxta longitudinem
m disiungerent.

Garengeot Tom. 1.
Petit Tom. I.
a zb. medic. chir. Zeitung. Jahrg. 1. Bd. 4.
Graefe l. c.
Chir. Kupfertaf. Tab. 18. Krombholz Akologie. Tab.
X. Diction. des scienc. medicales. Tom. I.

Sit vero acus optimo parata chalybe atque bene polita, curva, i. e. circuli demidii formam exhibeat, ab apice ad tertiae longitudinis partem anceps, et sensim sensimque in latius excurrat; partem eius posteriorem tenuem, atque teretem, utrumque foraminis latus excavatum esse oportet, ut fil. melius excipiantur, neque vulnus nimis lacerent. 1) Acus magnitudo atque crassities, altitudini vulneris, orarumque firmitati rite adaptetur.

Langenbeck (l. c.) fere semper acubus rectis apice ancipitibus utitur.

II. Acutenaculo. (Gallis Porte-aiguille) illis in casibus, utimnr, ubi digitorum ope acus immittere nequimus; plerumque autem supervacuum est. 2)

Veteres cannulam etiam fenestratam adhibuerunt; cum ubi digitos apponere non possumus Peccetti 3) refert, ut in suenda palpebra, hoc instrumento utamur, ut alteri parti labii vulneris incumbat atque innitatur, ne scilicet huc atque illuc evagetur, dum acus intromittitur, ut per fenestellam videri possit, quando acus pertransiverit, utque ubi acus trajecta fuerit, una cum filo trahatur. Fabr. ab Aquapendente 4) et Recentiores hocce

---

1) vide Zang l. c. Richter l. c. S. 174. Chelius. I. Bd. §. 257.

2) Platner Inst. chir. rat. §. 379. Heister l. c. Tab. 4 Chir. Kupfertaf. Tab. 18.

3) Pecetti Chir. Lib. II. cap. X.

4) Fab. ab Aquapendente Chir. cap. 108.

strumentum prorsus repudiantes, ejus loco digi- utuntur, qui idem praestare valent.

III, Filis. Quae in vulneribus consuendis usu erant fila, aut sericea aut linea, et vel sim- cia vel pluribus composita ab antiquissimis jam nt temporibus.

Celsus 1) aciam mollem, non nimis tortam, o mitius corpori insidat adhibuit. Ut filum in- durum et molle medium quoddam obtineat lenus 2) imperat. Albucasis 3) suenda vulnera, e ait, filo facto ex Intestinis recentium anima- m. Fabr. ab Aquapendente l. c. filum se- eum rejicit: nam experientia, inquit, compro- ri, filum sericeum brevi tempore labia consuta umpere et dissecare, idque vel ob tincturam, ae ut plurimnm fit e Chalcantho, vel propter turam ipsius serici, quod habet fila tenuissima, e facile abrumpuntur. Ergo itaque sumo fi- n e lino, quod sit fixum, album, aequale, mol- breve et quia omne filum, dum constringit em, abrumpitur; propterea ego oblinio filum Tragacantha medefacta in aqua rosarum, aut a alba. Recentiori tempore filis simplicibus, pluribus ita complicatis, ut formam taeniae ustioris vel latioris induant, sericeis aut canna- is, cera alba, ne facile abrumpantur aut in pu-

---

Celsus l. c. Lib. 5. cap. 26.
Galenus de methodo medendi Lib. VI.
vide Pecetti l. c. cap. X.

tredinem abeant, obductis, vel etiam ligulis cannabinis utimur, et filorum crassitiem longitudinemque vulneris in genere magnitudini partique laesae adaptamus.

IV. Ad Sanguinem sistendum opus est: Hamulis, forcipibus et laqueis nonnullis ad vasa liganda, sanguinem fundentia; Spongiis, cum catinis aqua frigida tepidaque refertis.

Ad Deligationem instituendam praesto sint: Emplastri agglutinantis habenulae diversae longitudinis latitudinisque: Plumaceola, cerato blando oblita, Splenia variae formae; denique fascia uniens idonea. —

Pro re nata uno aut duo interdum requiruntur administri.

§. 6.

Priusquam ad Suturam ipsam perficiendam progrediamur, haec dispiciantur. Primum tot praesto sint acus, filis munitae, quot vulneri uniendo opus sunt; dein vulnus ab omni squalore perpurgetur, praecipue sanguinis coagula alienaque corpora removeantur. Haemorrhagiae accuratissime remediis modo relatis sistantur; crines circa plagam novaculae ope rite auferantur; pars laesa denique ita collocetur, ut musculi relaxentur et aegrotus, quantum fieri potest commode jaceat. —

Quibus antea rite peractis Sutura sequenti perficitur modo. Chirurgus manu dextra acum filo munitam, oleoque, ut melius partes perforet, an-

linunctam ita prehendat, ut pollicem parti acus cavae, indicem digitumque medium parti im- at convexae. Sinistra manu unum alterumve re nata, vulneris labrum arripiat, et acum nea a plagae margine distantia per medium um uno ictu ab exteriori parte interiorem ver- trajiciat, ita tamen, ut vulneris fundus una prehendatur; dein per labrum alterum ab in- ri exteriora versus eodem modo acumperfigat, amen cum providentia, ut digitos nonnullos us sinistrae huicce paulum apprimat labro, ne, acus filumque egrediuntur, sequatur et inde etur. Acu remota plagaeque oris rite com- is, fili extremitates in nodum primum simpli- dein solubilem nectantur, ita tamen, ut vul- labra bene juncta appareant. Ne autem vul- orae nimis irritentur, noduli in alterutro eris labro ponantur. Si vulnus pluras expostu- uturas, omnes eadem perficiendae sunt me- o, ea vero differentia, ut omnibus filis injec- noduli primum constringuntur. Dionis 1) praeter modo relatam, suturam nodosam uendi rationem his verbis descripsit: l'autre e d'entrecoupée se fait avec un fil double en- ans l'aiguille, il fait un anse par son bout, and on l'a passé par la playe comme le pre- t, l'anse qui est à la partie inferieure de cette se relève vers la superieure, et l'on passé

---

ionis cours d'operation p. 59.

un des fils par cette anse; après quoi l'ayant nou
d'un double noeud on le coupè 'avec les ciseau

Langenbeck (l. c,) hoc perfici modo sutura
nodosam jubet. Acum rectam in medio vulne
per utrumque labrum uno ictu perfigit; tunc ap
a prima punctura distantia acum, quo infigebat
loco, iterum immittit et ita ad finem vulner
pergit. Denuo tum a medio vulnere nova ac
labra eodem perforat modo, usque ad alterum vu
neris angulum. Filorum ansis, quae hacce suen
di methodo formantur, dissecatis, singula fila i
nodum constringit. Quam autem suendi meth
dum Alii 1) propter nimium filorum irritamen
tum prorsus rejiciendam esse contendunt. Plu
ad suturam faciendam consideranda veniunt,
fusius paulo describam, necesse mihi videtur. Q
acus a vulneris margine immittatur distantia, pr
mum ante omnia est definiendum. In genere
altitudine atque partis laesae se retrahendi vi pe
det. Ubi vulnera exstant minora, duas
quatuor fere lineas, quo autem profundiora, cra
sisque labris instructa sunt, octo ad decem l
neas a margine acus infigatur. Locus, q
acus extrahitur, ei, quo iufigatur respondeat. Q
plura injicienda sunt fila, aequale semper int
singula intercedat intervallum. Guido Cauliac
(l. c.) et Alii ratum habent, interstitia singularu
puncturarum latitudini digiti indicis respondea
necesse esse. Tanta autem in genere esto dista

1) Chelius l. c. §. 217.

tia, ut inter singula fila intervallum pollicis exstet unius; ubi vero profunda sunt vulnera, octo lineas sutura una distet ab altera. Langenbeck (l. c.) tot inferenda judicat fila, ut vulnus non amplius hiet. Sutura autem neque nimis rara, neque nimis crebra injicienda est, si nimis rara est, non continet, si nimis cerebra vehementer afficit, quia, quo saepius acus corpus transivit, quoque plura loca injectum vinculum mordet, eo majores inflammationes oriuntur, magisque aestate; optimo huic Celsi 1) effato nihil, quod adjiciam habeo.

Vulnus ita semper est committendum ut, quantum fieri possit, partes homogeneae contactum subeant, quia alias Reunio evenire non solet. Curandum nobis est, ut maxima fundi plagae pars acu simul comprehendatur, ne suprema vulneris parte Reunione sanata, fundus in suppurationem abeat, abscessumque fistulosum relinquat. Quod, ut melius praecaveret, Bell filum duabus acubus injici, unamquamque tunc ab interioribus exteriora versus per vulneris labra transfigi proposuit. Neque nimis arcta, neque nimis laxa fila constringi debent; propterea fila in nodum semper simplicem et dein solubilem colligantur necesse est. Ut vero, si expostulat res, modo reserari, modo arctius constringi melius possint, Richter 2) fila butyro aut Unguento quodam illinienda commendavit. Nonnulli loco nodi simplicis, chirurgicum

---

1) Celsus l. c. Lib. V. cap. 26.
2) Richter l. c. 5 Bd. §. 30.

necti jubent, et Bell (l. c.) secundum, eumque simplicem ei imponi praescribit. Sunt etiam, qui inter nodum primum atque secundum, aut primum inter et cutem ipsam linamenti quid ponant. Langenbeck (l. c.) nodulos duos nectit simplices filorumque fines prope nodulum resecat; quod Paraeus 1) quoque commendavit. Si perfecta requiritur Reunio, sutura non secundum vulneris, sed secundum fibrarum directionem injiciatur, quoque necesse est 2). Acum per labrum vulneris, quam maxime remotum atque mobilius primum perfigi semper oportet. Quod si extravasata praesto jam sunt, aut procedente demum tempore oriri possunt, locus vulneris infimus turunda aut habenula lintea parva apertus retineatur. Denique cavendum nobis est, ne vasa majora nervosque acu laedamus.

Quibus rite perpensis atque absolutis plaga consuta perpugetur et deligatio instituatur. Qua ratione inter singula fila habenulas emplastri agglutinantis, desuper plumaceolum aut linamentum et splenia ponamus, atque ut omnia melius contineantur fascia idonea totum vulnus includamus.

Interdum quoque, licet bene instituta sit sutura accidit, ut dolores ingentes, inflammatio, suppuratio, spasmique oriantur, filaque cutem abrumpant. Quod ubi incidunt symptomata infausta, optime convenit methodus antiphlogistica liberalius instituta. Si vero mitigari nequeunt, sutura rese-

1) Paraeus l. c. Lib. VIII. cap. VI.
2) Richter l. c. §. 307.

ari aut removeri et ubi sutura iterari non potest, ulnus per secundam intentionem sanari debet.

Suturam removendi tempus. Dissentiunt medici, quonam Sutura removeatur tempore. Secundum Guidonem Cauliacum 1) usque ad vulneris onsolidationem acus remaneat. Brunus 2) fi, init, usque ad diem octavum Sutura permaneat, ssolvatur. Fabr. ab Aquapendente 3), in magnis transversis vulneribus septem aut octo dies Suurae detinentur, in minoribus vero et quibus tantum cutis est vulnerata, sufficiunt tres, aut ad summum quatuor dies. Peccetti 4) tunc temporis suuras removendas esse ait, quando iam glutinatio unio facta, quod pluribus de causis variare sot, ut ratione magnitudinis vulneris, corporis onstitutionis, temporis anni, corporis totius et ffectae partis temperamenti; regula certa ergo conitui non potest.

Bell 5) intra quinque dierum spatium vulneris onglutinationem iam satis factam, eoque tempore rgo suturas auferendas esse dicit. Richter 6) vulere sanato, suturas solvi posse ait. Zang connctione organica peracta suturae removeantur quod intra tres adquinque dies plerumque perficiur.) Langenbeck 7) post nychthemerum fila aufert.

1) Quid Caul. l. c.
2) Brunus chir. magna Lib. I. cap. 3.
3) Fab. ab Aquapend. l. c. Lib. II. cap. 5.
4) Pecetti l. c.
5) Bell. l. c.
6) Richter l. c.
7) Zang. Langenbeck. l. c.

Medium quoddam et hic teneri optimum mihi videtur; itaque Sutura ante tertium diem non removeatur, neque vero retineatur post diem octavum aut decimum.

Suturam removendi ratio. Filum in alterutro vulneris labro cuti quam proxime forficis ope resectum, cauta manu eliminemus, vulneris labiis tamen altera manu commissis. Nn plagae margines filis remotis dissiliant, vulnus per aliquot dies emplastro est continendum. —

II. Sutura clavata pinnata, cum conis, Suture enchevillée, the quilled suture, Zapfennaht.

§. 7.

Guido Cauliacus eam iam in usum vocavit, fit, inquit, quando mittitur acus infilata per ambo labia, deinde retornatur acus per idem foramen, usque ad hoc, quo remaneat ansa, in qua ponitur unum de capitibus cannulae, et postea caudae duorum filorum stringuntur, et ligantur super capite alio cannulae et ibi scindantur capita filorum et remaneat cannula usque ad perfectam consolidationem. Dionis 1) plane eam improbat, dicens: nous la supprimons comme trop cruelle e tout â fait inutile. — Palfyn 2), Garengeot 3) et Ravaton 4) proprias hancce suturam faciendi varietates divulgarunt, inque plerisque casibus suturae

1) Dionis cours l'operation p. 59.
2) Palfyn Chirurg. cap. VI.
3) Garengot l. c. Tom. I. cap. 3.
4) Bavaton über Hiebwund. p. 507,

odosae eam praeposuerunt; nominatim iis vul-
eribus suturam clavatam convenire dixerunt,
uae profunda atque transversa, partibus valde
uuscularibus, praesertim parieti abdominis ante-
ori, ubi et gastroraphia nuncupatur, illata sunt,
t clavorum pressione vulneris penetralia magis
adunentur. Cum vero partes vulneratae ingente
avorum pressione nimis lacerentur, dolores vehe-
nentes, inflammatioque inde exoriatur et vulneris
undus non melius ac sutura nodosa adhibita iun-
tur, recentiorum plurimi a sutura clavata plane
e abstinent.

Suturae clavatae instituendae praeter acus fila-
ue supra iam memorata, cylindri sive Coni (Gal-
s Chevilles) opus sunt. Veteriores medici cylin-
ros ligneos, crassitie quidem pennae anserinae
onfecerunt, qui postea emplastro glutinante ob-
ucti sunt. Alii calamis scriptoriis hunc in finem
tebantur; optimi vero omnibusque aliis praefe-
endi sunt, quos Garengeot invenit; hi nempe
nteo aut bombyce cera obducto et in formam
ylindri, calami scriptorii anserini crassitiem refe-
entis, contorto constant, vulnerisque longitudini
espondent. Molliores sunt minusque aliis pre-
unt.

Hoc modo instituitur Sutura clavata. Filum
ompositum atque duplicatum acui immissum, per
ulneris labra eodem modo, ac in sutura nodosa
ajicitur, ita tamen, ut ansae, fili extremitatibus
ompositis formatae in aliqua vulneris parte ex-

stent. Pro vulneris magnitudine duo, tria aut plura fila injiciantur. Cylindro supra descripto, ansis uno vulneris latere nexis immisso, fili fines, acu antea remota, super altero labro attrahuntur; deinde altero cono inter filum duplicatum posito, vulnerisque labris antea rite commissis, fili extremitates nodo primo simplici, dein etiam solubili firmantur 1). Si plura injecta sunt fila, medium primum, deinde reliqua constringantur. Garengeot (l. c.) suturam clavatam cum nodosa conjungens, hanc eam perficiendi rationem habet: filis tribus, diversi coloris acui injectis atque per vulnus trajectis, in uno vulneris latere filorum duorum extrema in nodum colligit, ita ut ansa formetur, in quam clavum immittit; altera vulneris parte cylindro altero inter duo fila posito, nodoque super illo constricto, tertium filum suturae nodosae instar supra vulnus nectit. Reliqua eodem perficienda atque observanda sunt modo, ac in sutura nodosa. —

